



# ACTA CONSTAN- TIENSIS CONCILII

*fr. Joannis: CELEBRATISSIMI, De humilitate*



B

**A**CROSANCTA generalis synodus Basileensis in spiritu sancto legitime congregata, uniuersalē ecclesiam representans, ad perpetuam rei memoriā. **Q**VONIAM facile labitur humana memoria, et proliuis est hominum cursus ad nouitates; ad regimen domini gregis feliciter & uotiuē dirigendū, maxime pertinere dinoscitur, ut uniuersalium gesta conciliorum sub fidelis approbatione testimonij ad posteritatis memoriā pandatur, & in communi notitia teneantur. Namque cum saepe casus eueniant, quorum similes constat apud antiquos fuisse decisos, utile quidē est scire, qua

le fuerit eorum qui nos praecesserunt, de simili re iudicium. Et cum plerūque in rebus dubijs ad utranque partē rationes plurimae adducantur, ad tollendas lites & contentiones opportuna cernitur ueterū autoritas, & quae ab antiquo facta legitur sanctorum definitio patrum. Sic enim scriptum est: Interroga generationem pristinā, & diligenter inuestiga patrum memoriā. Et iterum: Interroga patrem tuum, & dicet tibi; maiores tuos, & annuntiabunt tibi. In concilijs praeterea generalibus errores aduersus sanctam fidem pro tempore insurgētes, reprobantur; determinantur quaestiones ad catholicam fidem pertinentes; quae denique & qualiter intelligenda sunt diuina mandata, declarant; & quod illis propriū est, per ea sacri canones

Deuter. 32, 2

C

eduntur, qui constringentes hominum uitas, sciri ab omnibus debent, ut praesertim pro eorum manifestius cognito, uel inhibita declinent, uel permissa sectentur. Haec autem aliaque plurima attendentes, rem utilem & admodum fructuosam esse cognoscimus, magnae Constantiensis synodi, quae ad extirpationem schismatis, eliminationem haeresum & errorum, ac reformationē ecclesiae in capite & in membris, fuisse dinoscitur congregata, gesta in unum, de quo nemo ambigere habeat, ad perpetuam rei memoriā librum redigi. Namque cum plurima ibidem maxima negotia & digna memoratu, peracta fuerint, quis non illa collaudet ad posteritatis notitiā recordari perpetuam? Quis non opera precium duxerit sciri ab omnibus Christianis, quomodo sancta Constantiensis synodo operante, ecclesia catholica, quae per XL. fere annos horrendo schismate diuisa fuerat, ad perfectam unitatem pacis rediit, felicitis recordationis Martino papa V. ad summi apicē apostolatus assumpto? Quis determinationes ac decreta illius synodi pro declaratione autoritatis uniuersalis ecclesiae & generalium conciliorum eandem representantium, pro extirpatione praedicti schismatis, pro eliminatione haeresum & errorum, ac pro reformatione ecclesiae in capite & in membris edita, non libenter audire & cognoscere uelit? Nempe nos magnam atque euidentem utilitatem ex cognitione gestorum illius sanctae syno-